

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. Quibus notis vera Christi Ecclesia, ab omnibus aliis cætibus, qui se Ecclesiam Christi dicunt, possit nunc discerni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

idem autem spiritus. Et inferius: *Hec autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.*

8. Una est unitate corporis morales, juxta Apostolum verbis proximè laudatis; & illud ejusd. ead. epist. cap. 10. *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

§. II.

Vera Christi Ecclesia est sancta.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Ephes. c. 5. dicitur: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aque in verbo vite, ut existeret ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Et 1. Petri c. 2. *Vos autem genus electum (à Deo) regale sacerdotium (hoc est, spirituales precum aliorumque piorum operum hostias offerentes Deo); gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis ejus (per morum sanctimoniam) qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen suum.*

Porro vera Christi Ecclesia sancta est, 1. Propter caput invisibile, nempe Christum, de quo sic loquitur Apostolus Hebr. c. 7. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.*

2. Propter suos fundatores, Apostolos scilicet, qui omnes eximia sanctitate præditi fuerunt.

3. Quia tota cultui divino mancipata est: unde Apostolus Petrus epist. 1. c. 2. fideles vocat *Regale sacerdotium.*

4. Quia omnia ejus membra Deo specialiter consecrata sunt, juxta illud Apostoli 1. Corinth. c. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? ... Templum Dei sanctum est, quod estis vos.*

5. Propter fidem suam, quæ ex omni parte vera est, & ab omni proflus errore immunis.

6. Sancta est propter doctrinam suam, quæ vitia omnia damnat, & commendat virtutes omnes. Unde quotquot ei se planè conformant, eximiam morum innocentiam & sanctimoniam vitæ assequuntur.

7. Propter christianas virtutes, fidem scilicet, spem, charitatem, &c. quibus præfulget, & quæ alibi non inveniuntur.

8. Propter finem, qui consistit in visione & amore Dei, aliisque actibus beatificis, in quibus consummata sanctitas sita est.

9. Propter Sacramenta, quibus anima à commissis peccatis expurgatur, à committendis præservatur, donis gratiæ ditatur, ad exercenda quælibet pietatis opera corroboratur.

10. Propter suos omnes ritus, quibus verè colitur Deus.

11. Propter justos, qui semper magno numero in ea sunt, & sunt præcipua ejus membra; quique omnis mortalis peccati expertes, & charitate aliisque virtutibus, ac donis supernaturalibus exornati, amicitia & adoptione divina potiuntur, adedque heredes sunt Dei, & cohæredes Christi.

12. Propter conventus suos, in quibus, ut ait S. Augustinus, lib. 2. de civ. c. 28. *nihil iis qui adsunt, turpe ac flagitiosum spectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.*

§. III.

Vera Christi Ecclesia catholica est.

Prob. Nam 1. catholica est ratione temporis, quatenus à Christo ejus institutore hæc tunc sine ulla interruptione perseveravit, & usque ad consummationem mundi perseveratura est: nam Matth. c. 16. dicitur: *Porta inferi non prævalent adversus eam; & ejusd. cap. ult. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* At si vera Christi Ecclesia aliquando desit esse, portæ inferi prævaluerunt adversus eam; aut si ante finem mundi

Simonnet Theol. Tom. II.

desitura est, Christus non erit cum ea usque ad finem mundi.

2. Catholica est ratione personarum, quatenus personas omnium nationum & conditionum sinu suo complectitur, vel complexura est: nam dicitur Isaia, cap. 2. *Et erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevari super colles, & fluent ad eum omnes gentes; & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibat lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Quam prophetiam ad Ecclesiam Christi pertinere, manifestum est ex postremis verbis, *Quia de Sion, &c.* Item Matth. c. ult. dicit Christus: *Docete omnes gentes; & Marci c. ult. Prædicate Evangelium omni creature.*

3. Catholica est ratione locorum, quatenus non unius aut alterius provincie, vel etiam regni continetur finibus, sed sensim toto orbe noto & habituali propagata est, secundum Malachiæ prophetiam, c. 1. ubi legitur: *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

§. IV.

Vera Christi Ecclesia Apostolica est.

Prob. Nam 1. ab Apostolis post Christum fundata est, juxta illud Marci, c. ult. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Et illud Apostoli Ephes. c. 2. ubi fideles sic alloquitur: *Estis cives sanctorum, & domestici Dei, superedificati super fundamentum Apostolorum ... ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum, hoc est, in Ecclesiam.*

2. Doctrinam ab Apostolis tam scripto, quam viva voce traditam, hæc tunc puram & integram conservavit, & usque ad fidem mundi conservatura est, juxta varicinium Isa. c. 59. ubi dicitur: *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo & usque in sempiternum.* Et promissionem Christi Joan. c. 14. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, & spiritum veritatis Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Hinc Apostolus 1. ad Timoth. c. 3. veram Christi Ecclesiam vocat *columnam & firmamentum veritatis.* Vide quæ superius dicta sunt de Ecclesiæ indefectibilitate à vera fide.

ARTICULUS II.

Quibus notis vera Christi Ecclesia ab omnibus aliis cæteribus, qui se Ecclesiam Christi dicunt, possit nunc discerni.

NOta. Vera Christi Ecclesia notas aliquas habuit in sui exordio, quas nunc non habet. Nam in exordio Ecclesiæ Spiritus sanctus sensibilibiter descendebat super eos, quos Apostoli confirmabant impositione manuum, ut patet ex Actorum cap. 8. ubi dicitur: *Tunc imponebant (Petrus & Joannes Apostoli) manus super illos (Samaritanos baptizatos) & accipiebant (visibilibus) spiritum sanctum.* Cum vidisset autem Simon (Magus) quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis (Petro & Joanni) pecuniam. At nunc Spiritus sanctus non sic descendit super eos, qui confirmantur ab Episcopis. Item in exordio Ecclesiæ non solum Apostoli, sed etiam alii fideles frequentissime edebant miracula, juxta promissionem Christi Marci c. ult. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo demonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super egros manus imponent, & bene habebunt.* At nunc patranda miracula rarior est. Cum igitur

Aa 2 tur

tur in illis signis & prodigiis clarè eluceret veritas & divinitas Ecclesiæ, clarum est nunc Ecclesiæ carere notis aliquibus, quas habuit in sui exordio.

Nota iterum. Vera Christi Ecclesia nunc habet notas aliquas, quibus in sui exordio caruit. Præcipuæ notæ sunt, quod sit orbe noto diffusa, & quod à Christo & Apostolis ad nos usque per visibilem & perpetuam legitimorum pastorum successionem sit continuata, quibus eam cum primùm fundaretur, prærogativis gaudere non potuisse, manifestum est. Ex his apparet sectarios perperam contendere, quod eadem semper esse debeant, & sint notæ veræ Ecclesiæ. Et verò quidni vera Ecclesia pro diversis statibus, quos habet, diversas habere notas possit? Illud igitur omne pro nota veræ Ecclesiæ præsentis assignari potest, per quod potest evidenter agnosci, & ab aliis omnibus sectis discerni; siue illud ab exordio habuerit, siue non: sicut olim potuit pro vera Ecclesiâ nascentis nota assignari id omne, per quod potuit evidenter agnosci, & discerni ab omni alia secta; siue illud semper habitura esset, siue non.

Potest non omnes catholici eodem numero assignant notas veræ Ecclesiæ: nam S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos prope finem, ponit duas, S. Augustinus lib. contra epist. fundamenti, c. 4. sex enumerat, Vincentius Lirinensis in commonitorio tres assignat: inter recentiores verò alii plures; alii pauciores afferunt: quindecim recenset Bellarminus, nempe catholicæ & Christianorum nomen, antiquitatem, diuturnam nec unquam interruptam durationem, amplitudinem, siue multitudinem & varietatem credentium, successionem Episcoporum in Romana Ecclesia ab Apostolis deductam usque ad nos, conspersionem in doctrina cum antiqua Ecclesia, unionem membrorum inter se & cum capite, sanctitatem doctrinæ, efficaciam doctrinæ, sanctitatem vitæ auctorum seu primorum Patrum, gloriam miraculorum, lumen propheticum, confessionem adversariorum, infelicem exitum eorum qui impugnant Ecclesiam, & felicitatem temporalem, divinitus concessam iis, qui Ecclesiam defenderunt. Has omnes notas dicit Bellarminus aliquo modo revocari posse ad illas quatuor, quæ communiter afferuntur ex Symbolo Constantinopolitano, *unam, sanctam, catholicam, & apostolicam*, & quibus nos contenti erimus. Sit itaque

RESPONSIO.

Nota veræ Christi Ecclesiæ sunt unitas fidei cum principio huius unitatis, sanctitas, apostolica fundatio, ab Apostolis ad nos usque per visibilem & perpetuam pastorum successionem continuatio, & per totum orbem notum diffusio.

Probat. Quia hæ prærogativæ habent condiciones omnes requisitas ad hoc, ut per eas homini Scripturas divinas recipienti, & Christum, veramque aliquem ejus Ecclesiam existere credenti, evidenter ostendatur, quis hominum cætus sit vera Christi Ecclesia. Ergo, &c.

Probant. Nam 1. hæ prærogativæ omnes conveniunt veræ Christi Ecclesiæ, & ita conveniunt necessariò, ut si vel una ex illis careat cætus aliquis, nec sit, nec possit esse vera Christi Ecclesia. 2. Veræ Christi Ecclesiæ evidenter attribuuntur in Scripturis divinis, ut patet ex dictis superiore articulo. 3. Soli veræ Christi Ecclesiæ conveniunt, saltem simul & conjunctim sumptæ: nam si omnes convenirent alicui hominum multitudini, quæ non esset vera Christi Ecclesia, vera Christi Ecclesia non posset evidenter agnosci, & ab aliis sectis discerni; quod certè nunquam permittitur est Deus, qui ex una parte vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; & ex altera neminem voluit extra veram Christi Ecclesiam salvari, & ad agnitionem veritatis venire posse. 4. Sunt notiores vera Christi Ecclesia: sunt enim cognitui faciliores. Et verò si quis hanc duplicem questionem proponat, utrùm talis hominum multitudo sit vera Christi Ecclesia, utrùm talis hominum

multitudo habeat prærogativas omnes, de quibus hic agitur, quis non videat secundam questionem facilius resolutum iri, quàm priorem? 5. Denique sunt sufficienter proportionatæ omni hominum generi: nemo enim est, qui, supposita sufficienti instructione, cujus nullus non capax est, non possit illas omnes prærogativas, aut saltem pleræque sufficienter assequi ad hoc, ut per illas veram Christi Ecclesiam evidenter evidentiæ sibi proportionata, adedque certò certitudine sibi proportionata, agnoscat & discernat.

Confirmatur autoritate SS. Patrum, qui prærogativas illas docent esse veræ Ecclesiæ notas, per eas veram Ecclesiam indicant, & ab aliis sectis discernunt, eisque utuntur adversus hæreticos, ut probent illos veram Ecclesiam non habere apud se, & solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam. Primam contra Valentinianos & Marcionitas adhibet Tertullianus, lib. de præscript. cap. 42. ubi sic loquitur: *Mentior si non etiam à regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulator quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis sue morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspecta hereses, omnes in multis cum authoribus suis dissentientes deprehenduntur.*

Tertiam & quartam assert Sanct. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos in fine, ubi sic ait: *Brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam; in illa esse Ecclesiam permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Ad eandem hæreticos provocat Tertullianus, lib. de præscript. c. 32. his verbis: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesia Apostolica census suos defuerunt... Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde utique & cætera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Conspiciant tale aliquid hæretici.*

Quintam allegat S. Augustinus pluribus locis, ut lib. de unitate Ecclesiæ c. 3. ubi sic ait: *Ille singule (hæreses) in multis gentibus, ubi ista (vera Christi Ecclesia) est, non inveniuntur: hæc autem, quæ ubique est, etiam ubi illæ sunt, inveniuntur. Et lib. 4. de Symbolo, cap. ult. Omnes gentes, inquit, totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod à viro suo accepit in dote. Quæcumque congregatio cujuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona.*

Ex hac potissimum prærogativa, quam lib. de unit. Ecclesiæ, S. Augustinus fuscè probat convenire veræ Christi Ecclesiæ, vera Christi Ecclesia Catholica nomen accepit, quod nomen S. Doctori satis erat ad agnoscendam & discernendam illam à sectis aliis omnibus, ut patet ex lib. contra epist. fundamenti, c. 4. *Multa sunt, inquit, alia quæ in ejus (Ecclesiæ Romanæ tanquam veræ Christi Ecclesiæ) gremio me iustissimè teneant. Tenet consensus populorum atque gentium; tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad presentem Episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.*

Nos igitur veram Christi Ecclesiam à temporum nostrorum hæresibus discernimus iidem notis, quibus eam Patres antiqui ab hæresibus suorum temporum dilexerunt; & iidem armis pro veræ Christi Eccle-

Ecclesie agnitione decernamus contra hereticos recentiores, quibus pro ea contra veteres hereticos Patres decernatur. Quare vel notæ illæ, quas ponimus, sunt notæ veræ Ecclesiæ, vel circa veræ Ecclesiæ notas Patres etiam antiquissimi decepti sunt, & alios deceperunt: unde aut non fuerant in vera Christi Ecclesia, aut non nisi fortuito & imprudenter in ea fuerunt; quorum neutrum sine manifesta absurditate dici potest. Fideliter ergo insistentes veterum Patrum vestigiis, secuti sumus: recentiores verò heretici, cum ab illis defleunt, ut nova & veteribus Patribus ignota incedant via, à vera Christi Ecclesia extranei esse, nec tam ut discernatur, quam ne discernatur vera Christi Ecclesia, labore convincuntur.

Porro in prima nota posuimus, cum principio unitatis: nam vera Christi Ecclesia agnosci non potest ex eo præcisè, quod ejus membra eandem fidei doctrinam teneant: hæc enim in doctrina consensus reperiri potest, & reperitur in omni secta hæretica, quandiu sequitur auctoris sui placita, nec in plures sectas per membrorum suorum dissensionem dividitur. Præcisè igitur tenere eandem fidei doctrinam non est aliquid soli veræ Ecclesiæ proprium, adeoque per hoc præcisè à sectis hæreticis discerni non potest; per hoc, inquam, præcisè quod omnia ejus membra, quandiu ejus membra sunt, teneant unam & eandem fidei doctrinam; sed cum unitate doctrinæ jungendum est principium hujus unitatis, quod principium in vera Christi Ecclesia inveniri necesse est, quia sine illo constanter teneri non potest doctrinæ unitas, & in sola vera Christi Ecclesia invenitur: nam sola vera Christi Ecclesia illud agnoscit, aut etiam agnoscere consequenter potest.

ARTICULUS III.

Utrum Ecclesia Romana, & soli Ecclesiæ Romanæ conveniant notæ veræ Christi Ecclesiæ.

Nota. Nomine Ecclesiæ Romanæ intelligimus hic, non Ecclesiam illam particularem, quæ olim fuit & nunc est Romæ, sed Ecclesiam, seu hominum multitudinem, toto orbe diffusam, quæ adhæret Romano Episcopo, tanquam capiti visibili, & supremo in terris Vicario Christi; vel, si vis, quæ adhæret Romano Episcopo, & ejus particulari Ecclesiæ, tanquam unitatis centro. Ecclesiam autem Romanam sic sumptam opponimus iis tantum sectis, quæ se Christianas profitentur, & nunc existunt: inutiliter enim opponerentur aliis hæreticorum sectis, quæ olim exortæ, jam interierunt, aut quæ nondum exortæ sunt, sed fortè exorientur aliquando: manifestum enim est, ex illis nullam esse veram Christi Ecclesiam; alioqui vera Christi Ecclesia aut nondum est, aut non est amplius, quorum utrumque evidenter falsum est & absurdum. His præmissis, propositam questionem resolvemus sequentibus paragraphis.

§. I.

Ecclesia Romana habet, & sola habet unitatem doctrinæ fidei cum principio hujus unitatis.

Prob. 1. pars. Nam i. omnes qui sunt in Ecclesia Romana, quandiu in ea sunt, unam & eandem fidem profitentur: tenent enim omnes eadem fidei dogmata; & quicumque vel unum ex dogmatibus, quæ tenet Ecclesia Romana, repudiat, vel nunquam fuit membrum Ecclesiæ Romanæ, vel si aliquando fuit, desinit esse, cum illud dogma repudiare cepit. 2. Omnes qui sunt in Ecclesia Romana, quandiu in ea sunt, agnoscunt regulam viventem, & supremum atque infallibilem controversiarum in materia fidei judicem, cujus sententiæ incunctanter ac firmissimè acquiescere tenetur unusquisque; quod est agnoscere principium ad perfectissimam in doctrina fidei consensionem habendam & constanter retinendam, accommodatissimum & sufficientissimum.

Dices. In Ecclesia Romana Doctores inter se dissident in multis, quæ videntur ad fidem pertinere, ut *Simonet Theol. Tom. II.*

patet v.g. ex schola Thomistica & Scotistica. R. Doctores in Ecclesia Romana inter se dissidere de rebus, quæ ad fidem non pertinent, & quæ proinde sine ullo fidei impendio affirmari vel negari possunt: dissident enim inter se de iis tantum rebus, quæ aut non satis clarè continentur in Scriptura, vel traditione divina, aut non satis clarè sunt definitæ ab Ecclesia, adeoque numerari non possunt inter articulos nostræ fidei. Præterea, parati sunt omnes, submittere se judicio Ecclesiæ, ubi primum placuerit ei controversiam dirimere, & quid tenendum sit statuere. Adde quod teneant omnes & credant, quod tenet & credit Ecclesia Romana, quæ prohibendo ne se invicem notent, & tanquam hereticos infament, illos in unitate fidei & pace continet.

Prob. 2. pars. Nam ex omnibus sectis aliis, quæ nunc existunt, & se profitentur Christianas, dato quod aliqua unitatem fidei habeant, nulla hujus unitatis habet principium. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam principium hujus unitatis consistit in eo, quod agnoscat regulam vivens & infallibilis, seu supremus & infallibilis iudex vivens controversiarum omnium fidei, cujus proinde judicis sententiæ in rebus omnibus, quæ fidem spectant, acquiescere teneantur omnes: qui enim hoc dogma recipiunt, non possunt in sensu composito non consentire in doctrina fidei; & si tantum in doctrina fidei dissentiunt, qui non recipiunt hoc dogma, & ideo inter se in doctrina fidei dissentiunt, quia hoc dogma non recipiunt, juxta illud S. Cypriani epist. 18. ad Cornelium: *Neque enim aliunde hæreses oborte sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitur, cui secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa...* nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens seorsum foris hæresim novam conderet. Atqui ex omnibus aliis sectis, quæ nunc existunt, & se Christi fidem sequi profitentur, nulla agnoscit supremum & infallibilem judicem viventem omnium fidei controversiarum, cujus proinde necessario acquiescendum sit iudicio in rebus omnibus fidem spectantibus. Ergo, &c.

Prob. min. Supremus ille & infallibilis omnium fidei controversiarum iudex vivens, cujus definitioni necessario adhærendum est, vel est aliquis pastor, nempe pastor supremus, vel aliqua pastorum multitudo: nomine enim sacerdotis alterutrum intelligit S. Cyprianus. Atqui ex omnibus aliis sectis, quæ nunc existunt, & se Christi fidem sequi profitentur, nulla unum aliquem pastorem, aut unam aliquam pastorum multitudinem, nulla unum aliquem hominem, aut unam aliquam multitudinem hominum agnoscit, cujus definitioni necessario adhærendum sit, tanquam iudicio supremi & infallibilis in materia fidei judicis: omnes enim vel solam scripturam, vel scripturam spiritu privato interpretatam, tanquam supremum controversiarum judicem venditant. Ex quo

Sic confirmatur assertio nostra. Qui dicit solam Scripturam, vel Scripturam spiritu privato interpretatam, esse controversiarum fidei supremum judicem, non principium unitatis, sed divisionis principium asserit: is enim in re unumquemque facit supremum judicem controversiarum fidei; quo posito, necesse est tot ferè sensus esse in materia fidei, quot sunt capita. Atqui omnes alie sectæ, quæ nunc existunt, & se christianas esse profitentur, tenent solam Scripturam, vel Scripturam privato spiritu interpretatam, supremum esse controversiarum fidei judicem. Ergo omnes alie sectæ, quæ, &c. non unitatis principium, sed principium divisionis in doctrina fidei admittunt. Ergo sola Ecclesia Romana habet unitatem in doctrina fidei cum principio hujus unitatis.

Dices. Calvinistæ tenent Synodorum iudicio standum esse in materia fidei, ut patet ex Synodo Dordrechtana, & ex iis, quæ acta sunt contra Remonstrantes seu Arminianos, qui sententiæ Synodi renuerunt acquiescere, & ideo gravissimè multati sunt.

Aa 3 R.Re-